

fiana mancipia. Huc etiam pertinet Concilium Toletanum quartum can. 58. & c. plerique de consec. dist. 4. Item c. Judei, & c. Judæorum, & c. sepe, & c. nullus, 28. q. 1. Item c. mancipia Christiana (qui est Sancti Papæ Gregorii) dist. 54.

8. Can. XI. Pervenit ad sanctam Synodum, quod iudices publici contra veteranam consuetudinem, per omnes parochias & Monasteria, qua mos est Episcopis circumire, ipsi illicita presumptione videantur discurrere. Etiam Clericos, vel Abbates, ut eos præparent, inuitos atque distractos ante se faciant exhiberi. Quod omnimodis nec religioni convenit, nec Canonum permittit auctoritas. Unde omnes unanimiter censuimus, sentientes, ut deinceps ista debeant emendare: & si presumptione vel potestate qua pollent, excepta invitatione Abbatis, vel Archiepiscopi, in ipsa Monasteria vel parochias aliquid fortasse præsumpserint, a communione omnium Sacerdotum eos convenit sequestrari.

Similes querelæ fuerant ad Lateranense Concilium sub Leone Papa X. delatæ, quæ mox composuit fuerunt, iudicibus meliora in posterum pollicentibus, qui utique ordinarias parochialium Ecclesiarum & Monasteriorum visitationes quas attentaverant, & quas quotannis inter fese partii consueverant, deinceps non sunt aggressi, iniquè agnoscentes istud officium ad solos Episcopos, & ad Regulares Prælatos pertinere. Concilium istud, quamvis novissimorum sæculorum, idcirco primum quam brevissime protuli, quia præcipua quæ in eo fuerat ventilata querimonia, quamvis nec aliæ deest, ad visitationes Ecclesiarum attinebat, quod habet cum isto Babilonensi canone conformitatem. Jam vero antiquiorum Conciliorum decreta prosequar succincta brevitate. In primis observanda est Synodica œcumenici Sardicenis Concilii ad Ecclesiam Alexandrinam epistola omni veneratione digna, quam integram refert beatus Athanasius in sua secunda apologia: sic vero scribunt sancti illi Patres. Διότι ἀπιέγαμεν ἐν ἡμεῶν τὸς ἐπισκότους ἐν Σερδικίας βασιλέως, ἵπας ἢ φιλιανδρωπία αὐτῶν ἐν τῆς ἐπι κληρονομίας ἀνεθίκα κελύκη, ἐν προσέχον μὲν δὲ τὸν δικαστῶν, οἱς περὶ μὴ τὸν δημοσίαν μέλει προσέχει, μήτε κρινεῖ κληρικῶν, μήτε ἕως τὸ λοιπὸν ἀποφάσει τῶν ἐκκλησιῶν, ἐπιχειρεῖν τι κατὰ τὸν ἀδελφῶν. Quamobrem preces nostras ad religiosissimos & amantissimos Dei Imperatores retulimus, ut illorum humanitas eos qui adhuc graviter laborant & affliguntur, relaxari jubeat, constituatque, ne quis iudicium, qui publica solum curare debent, aut clericos iudicet, aut ulla ratione in posterum sub prætextu Ecclesiarum quidquam contra fratres moliatur.

9. His alterum consentit generale Concilium, atque adeo ex his quatuor unum, quæ sancta Ecclesia Dei patri cum quatuor Evangelis cultu venerari semper est professa. Istud est Chalcedonense, quod Can. IX. hæc mandat: Si Clericus adversus clericum habeat negotium, non relinquat suum Episcopum, & ad secularia iudicia non concurrat. Sed prius negotium agatur apud proprium Episcopum. Vel certe si fuerit iudicium ipsius Episcopi, apud arbitros ex utraque parte electos audiat negotium. Si quis vero contra hæc fecerit, canonum subiacet correptionibus. Et si clericus adversus suum, vel alium Episcopum habeat causam, apud audientiam Synodi provincie eius conquiratur. Quando Canones Chalcedonenses editi sunt, aderat in ipso Synodi loco amplissimus Senatus, qui sæpe interloquebatur; nullatenus vero interloquutus est, quando Synodali decreto prohibitum est clericis apud seculares iudices litigare. Alia pariter Gallicana Concilia permulta his suffragantur. Matifonense primum, can. 7. & 8. Agathense, can. 8. quo simul communionis fidelium redduntur exortes, rum iudex secularis, tum clericus, qui se illius jurisdictioni submitit. His coheret Concilium Aurelianense quartum, can. 20. Et Andegavense, can. 1. Romanum sane sub Sylvestro Pontifice Concilium, vetat, ne clericus coram laico iudice causam dicat. Idemque sub gravibus penis districte prohibet Carthaginense tertium Concilium, can. 9. Toletanum pariter tertium eandem iterat prohibitiones & penas, can. 13. Plures adhuc canones collegit Gratianus in causa 11. q. 1. Similia edicunt c. clericis, de iudicis, c. si diligenti, de foro comp. aliæque id genus jura, quæ missa facio.

10. Sacris canonibus suffragantur veterum Christianorum Imperatorum leges, quos inter effulgent, qui religione præcipui, sapientie laudibus præ reliquis insignes, partique de hostibus victoriis illustissimi, quique Magnorum nomina non aulicis adulationibus, sed amplissimis virtutum meritis apud posteros adepti sunt, Constantinus primus, Theodosius primus, & eximium Francorum decus & religionis columnæ Carolus primus, Rex & Imperator. In primis neminem latet Constanti-

ni Magni rescriptum ad Ablavium Præfectum prætorio decernens, quamcunque causam in iudicium seculare deductam, debere etiam post litem contestatam ad iudicium Episcopale devolvi, si pars una ex litigantibus hoc requirat, altero etiam colligante invito: atque ut universi iudices, quidquid Episcopus iudicaverit, ratum habeant: l. 1. Cod. Theod. de Episc. iudic. Præterea Imperatores Valentinianus, Valens, & Gratianus ad Claudium Urbis præfectum ita rescribunt; Quoniam Chronopius ex Antistite idem fuit in tuo, qui fuerat in septuaginta Episcoporum iudicio antea damnatus, & eam sententiam provocatione suspendit, a qua non potuit provocare, argentariam multam, quam huiusmodi sanctio generalis imponit, cogatur expendere. Hoc autem scilicet nostro volumus accedere, sed his qui indigent, fideliter erogari, l. quoniam 20. Cod. Theod. quorum appellat. non recip. Porro sanctio illa generalis, cuius est in isto rescripto mentio, temporum injuria intercidit: partem tamen illius, quæ magni momenti est, ad nos transmissit sanctus Ecclesie Doctor Ambrosius epist. 13. ad Valentinianum juniorem Augustum, his verbis: Nec quisquam contumacem iudicare me debet, cum hoc asseram, quod augustæ memoriæ Pater tuus non solum sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit: In causa fidei, vel alienus Ecclesiasticæ Ordinis, eum iudicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis. Hæc enim rescripti verba sunt: hoc est, Sacerdotes de Sacerdotibus voluit iudicare. Hæcenus Ambrosius. Præterea l. clericos 41. Cod. Theod. de Episc. & cler. & l. quicumque de residendis 35. Cod. Theod. eod. tit. decernunt, clericos, quos Episcopi sententia damnaverit, nullatenus esse Principis auctoritate vel rescripto restituendos. Præterea Imperatores Valentinianus & Theodosius dictus Magnus, cuius etiam sollicitudine prodit Codex iste Theodosianus, sic inquirunt: Clericos, quos indiscretim ad seculare iudicium deduci debere infamibus præsumptor edixerat, Episcopali audientia referamus, l. Cod. Theod. de Episc. & cler. Ille vero præsumptor infamulus ac lege peritricus Maximus tyrannus extitit, Gratiani optimi Imperatoris peritricio infamis, qui novis etiam & sacrilegis rescriptis cultum restituerat Idololorum, quem religiosissimi Principes Valentinianus & Gratianus ceperant edictis suis velle abolere. Denique Imperatores Valentinianus, Theodosius, & Arcadius, l. graviter 3. Theod. de Episcoporum iudicis, faciunt, Episcoporum & Sacerdotum iudicia non nisi coram Episcopis esse agendam, quantum ad Ecclesiasticas causas attinet. Cetera vero negotia esse penes iudices publicos terminanda. Alia Tribunalis Ecclesiasticæ ex Imperatorum Christianorum declarationibus munimenta & præstidia suppeditat in sua Ecclesiastica historia Rufinus lib. 1. cap. 2. & Sozomenus lib. 6. c. 7.

11. Superest demum, ut Caroli vere Magni Francie Regis ac Imperatoris, inter omnes laudatissimi, sensum exploremus. Eum vero ipsemet usque adeo dilucide exprimit, ut nullus dubitationi locus relinquatur. Etenim lib. 5. Capitularium, prolato in primis sensu & exemplo Magni Constantini, his ipsis quæ leguntur cap. 115. verbis, Constantinus imperator Episcopis dixit: Deus constituit vos Sacerdotes, & potestatem dedit vobis de nobis quoque iudicandi; & ideo nos a vobis velle iudicari. Vos autem non potestis ab hominibus iudicari: propter quod DEI solus inter vos expectate iudicium, vestra iurgia, quæcumque sint, ad illud Divinum revocentur examen: vos etenim nobis a Deo dati estis dii; & conveniens non est, ut homo iudicet deos, sed ille solus, de quo scriptum est: Deus stetit in Synagoga deorum, in medio autem deos iudicavit. Idem Carolus Magnus latius se diffundit in explicanda tribunalis Ecclesiasticæ contentiosi amplitudine, & in coercenda respectu Ecclesie secularium quorumcunque jurisdictione, lib. 6. cap. 98. & 302. & 313. Sed ne longius evagemur, ita edicit memorati libri 6. capit. 390. Sanctum est, ut nullus Episcopum, aut Sacerdotem, vel Clericum apud iudices publicos accusare præsumat, sed apud Episcopos. Habetur similiter apud Julianum Antecessorem Novella 131. cap. 10. Sed præstat eisdem Caroli hanc constitutionem subtexere ex lib. Capitularium 5. cap. 5. Nemo audeat Clericum, aut Monachum, aut Sanctimonialem feminam ad civile iudicium convenire. Quo nihil expressius dici aut allegari potest. Quia vero præcipuum meum in hoc Opere institutum versatur in perquisitione veterum ac indubitatorum Ecclesie canonum, & his conformium Principum edictorum, mei propositi non est perquirere aut indagare, quæ novo jure sunt introducta.

12. Can. XII. Ut duo Abbates in uno Monasterio esse non debeant, ne sub obtentu potestatis, similitas inter Monachos & scandala generentur. Veruntamen si quilibet Abbas elegerit successorem, ipse qui eligitur de facultatibus ipsius Monasterii, ad regendum nullam habeat potestatem. Simili

CONCILIIUM EMERITENSE

ann. 666. a Christi epocha, Æra vero 704.

1. Merita Augusta Romanorum colonia a Cæsare Augusto condita, totius olim Lusitanie Metropolis tum civilis, tum Ecclesiastica, cuius a Mauris everta nihil superest nisi parietina, & rudera, olim nobilitata sanctæ Virginis Eulalie natalitio & martyrio, de qua Prudentius canit in ipsius Hymno.

Carmine nobilis Eulalia.  
Mortis & indole nobilior;  
Emeritam sacra Virgo suam  
Cujus ab ubere progenita est  
Ossibus ornat, amore colit.

Ejus vero diruta Metropolitanum jus Callistus secundus Papa in Compostellanam Ecclesiam transtulit. Concilium istud habuerunt duodecim Episcopi, præfide Proficio Emeritensis Ecclesie Metropolitanite. Auspicati sunt Patres a Symboli Constantinopolitani professione, in quo Spiritum sanctum a Patre & Filio procedere disticte contulerunt.

2. Can. XII. Si priorum Canonum sententia huic rege tenet ordinem, ut Episcopus ab alio Episcopo, si indulgentiam habuerit, Clericum ad ordinandum petat & accipiat: cur qui in Diocesi sua habet eos, quos pro Dei officio, & suo iuramine dignos repererit, ad suam principalem Ecclesiam non perducatur & habeatur? Pro huius rei causa hoc elegit unanimis nostra, ut omnes Episcopi Provincia nostra, si voluerint de Parochianis Presbyteris atque Diaconibus Cathedrali sibi in principali Ecclesia facere, maneat per omnia licentia. Hi tamen qui fuerint traducti, humilitatem dignam Episcopo suo teneant, & eo honore & reverentia habeantur & venerentur in Cathedrali Ecclesia, sicut hi, quos constat fuisse ordinatos in ea. Et quamvis ab Episcopo suo stipendii causa per bonam obedientiam aliquid accipiant, ab Ecclesiis tamen, in quibus prius consecrati sunt, vel a rebus earum extranei non maneat; sed Pontificali electione Presbyteri ipsius ordinatione, Presbyter alius instruat, qui sanctum officium peragat, & discretionem prioris Presbyteri vultum & vestitum rationabiliter illi ministret, ut non egeat: aut si quaesierit qui ordinatur, stipendium a suo Presbytero accipiat, quantum dignitas officii eum habere expectat. Clericis vero quos ad servandum ei dederit, per discretionem modum, quæ necessaria sunt, ministret. Si quis sententia huius ordinem implere distulerit, prout ratio permisit, excommunicandum esse noverit.

Hunc unum canonem præ ceteris huius Synodi decretis, quæ exigui sunt momenti, consulto selegi, quia primus omnium, quos nosse poterim, formam refert hodierni Ecclesiarum Ministerii, quo Cathedralium Ecclesiarum Canonici & curam habent Parochialium Ecclesiarum, & jus nominandi Parochos, qui eis subsunt, ut accedente Episcopi provisione præficiantur Ministerio Parochiarum. Ipsi vero qui ad Cathedralis Ecclesie Capitulum sunt promoti, ita decimas parochialium Ecclesiarum Parochis, eorumque ministris pro laborum stipendiis, & convenientibus alimoniis assignent; parique insuper altera in parochialibus Ecclesiis reparaciones & ornatum infumatur.

CONCILIIUM TOLETANUM XI.

Anni a Christo 675.

1. Vamba Hispaniarum Regis anno quarto, Adeo dato Papa ad clavum sedente Romane ac Universalis Ecclesie, dum agebatur a reparata generis humani salute annus sexcentissimus septuagesimus quintus, convenit in Toletana civitate novemdecim Episcoporum Synodus; in qua factam tradunt legitimam, quæ deinceps prævaluit, Hispanicarum Ecclesiarum divisionem, Hispanici Scriptores. Quæ tamen res Baronio persuaderi non potuit; quia ad causam, quæ universæ Hispaniæ conventum exigebat nationalem, non credit solius Carpetanæ Provincie Præsules sufficere potuisse, quantumvis rem illam præfens Rex Vamba premeret ac urgeret.

2. Can. III. De his qui contra Apostoli voluntatem circum-